JOH. POMARIUS

STELLA AMIRALIA
NOVA

1573

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

19-85
4°
DA.
Box
(LN bis 192)
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS
Kay Høegs eks.
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

ANKER KYSTER

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

# STELLA AMI-RALIA NOVA ET PRODIGIOSA

CARMINE DESCRIPTA

*A*

M. IOHANNE POMA-RIO IVNIORE MAGDE-BVRGENSI.

*ANNO CHRISTI*

M. D. L XXIII.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Kay Høegs Samling 1970

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

AMPLISSIMIS, SAPIENTISSIMIS ET INTEGERRIMIS VIRIS: SPLENDORE GENERIS, ERVDITIONE, Prudentia, conſilio & autoritate præſtantiſsimis, Dominis Conſulibus & Senatoribus inclytæ Reipub. Hallenſis digniſs. Dominis & Mecœnatibus ſuis debita obſeruantia colendis.

FAma fidem fecit confoſſo Cæſare, primus
Qui geſsit patriæ ſceptra Monarcha ſuæ:
Conſpectum rutilo flagrantem crine Cometem,
Et mala Romano fata tuliſſe ſolo.
Quem vates animam finxerunt eſſe coruſcam
Iulij, & hinc dictus Iulia ſtella fuit.
Signantes cœlum facinus taxare nefandum,
Quo patriæ oppreſsit perfida turba patrem.
Cum nunc iſta Dei & ſancti gens neſcia verbi,
Senſerit iratos ſigna referre Deos:
Quantò nos potius, qui dia oracula ſacris
Diſcimus è ſcriptis, iſta putare decet?
Namq; Amiralio ſcelerata morte perempto
Nunc quoque crinitum ſidus in axe micat.
Inſolitum prorſus, cui nullo æquale ſub æuo,
Aut vllo conſtat par micuiſſe polo.
Vnde Amiraliam vocat hanc Muſa inclyta ſtellam,
Voce noua, cum ſit ſidus & hocce nouum.
Non verè ſtatuens animam inter celſa relatam
Sidera, quæ elyſios læta pererrat agros:

Sed

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

Sed docet accenſam minitante ſub æthere flammam
Monſtrare irati ſigna faceſq; Dei.
Qui ſcelus illud atrox & iniqui conſcia facti
Corda, monet pœnas, non luitura leues.
Et ſimul interitum toti prænunciat orbi,
Et bona fata bonis, & mala fata malis.
Hæc mea Muſa ſuis ſtuduit compræhendere ſcriptis,
Præ foribus miſerum dum gemit eſſe ſtatm.
Atq; patrocinio tradit ſua carmina veſtro,
Nouit enim caſus voſq; dolore grauaes:
Ergo agite ô proceres virtute & laude celebres,
Qui Patriæ audiri vultis, & eſſe patres:
Accipitote meam teſtantia pignora mentem,
Nec leuia ingenij ſpernite dona mei.
Magnorum laus magna virûm, non ſpernere paruum,
Parua placent magno munera ſæpe DEO.
Si dederit maiora DEVS, maiora feremus,
Nunc modò quod dedimus conſulitote boni.

V. Amplitud. & prudentiæ
obſeruantiſsimus

M. Iohannes Pomarius Iunior
Magdeburgenſis.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

# STELLA AMIRALIA.

NOx erat, & varia ſculptis in imagine ſtellis
Tota colorati radiabat regia cœli.
Hinc ego vel fato, vel noctis amore ſerenæ,
Prouocor, intuitu ſpecularer vt aſtra fideli.
Erectos igitur tollenti ad ſidera vultus,
Ante alia offertur nullo fax cognita ſæclo,
Fax noua, fax rutilans, quæ ſeſe immiſcuit aſtris
Caſsiopeia tuis, geminiſq; repoſta ſub vrſis,
Luce micat tremula, greſſuq; immobilis omni
Vno fixa loco, poſitum tutatur eundem.
Vtq; fit attentos obiecta vt pleraq; ſenſus
Commoueant: ſic viſa mihi noua flammula mentē
Concitat, atq; animum nunc huc nunc diuidit illuc,
Et dubium reddit: nec enim quo nomine ſidus
Hoc vocitem inſolitū: nec idem quid inauguret orbi
Exactè inuenio, dumq; his mens fluctuat anceps,
Doctorum inquirit ſuper hoc diuerſa virorum
Iudicia, atq; aciem partes dimittit in omnes.
Hîc equidem occurrit primum ſententia eorum
Qui impreſſas inter ſpecies, interq; Cometas
Aſtrum illud referunt, ſtellamq; vocare comatam
Haud dubitant, ſignis moti & rationibus æquis.

Nam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

Nā duo cū numerent genera inde ab origine mundi
Stellarum artifices: quorum hoc errantia, at illud
Sidera fixa tenet: ſequitur, ſi ſtella recens ſit
Prodigium, aut inter fixas, interve vagantes
Sortitum eſſe locum: ſed nec ſidentibus aſtris
Adijcitur, nec ineſt ſeptenis orbibus horum,
Quæ verbo & falſis Graiorum vocibus errant,
Attamen & lapſu certo vertuntur & ortu.
Alterutrius enim ſi pars quotacunq; fuiſſet
Hæc generis: non viſa recens, ſed cognita dudum
Stella foret, præſertim altam cum vergat ad arcton
Quæ nunq; oceano occumbit, ſed cardine ſummo
Voluitur in gyros, & toto vertice ſupra eſt.
Inſuper in propria fulget ſtatione planeta
Quilibet, & numero non deficit vllus, eadem
Sed ſerie inſiſtunt omnes, ſedemq; tuentur
Conſuetam, hîc tractu ſplendens vbi ſignifer aureo
Bis ſenas patet in partes, & limite certo,
Non ſecus ac poſitis labentia ſidera metis
Circuit, & ſtabili determinat omnia nexu.
Sed noua fax procul hinc Boreas declinat ad oras,
Atq; his ſeptenis ita latior exit ab aſtris.
Præterea illa quidem proprium vertigine curſum
Conficiunt, varijsq; agitant ſub legibus orbem,



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

Et cœlum contra valido pugnantia niſu
Luctantur, licet obliquo ceu victa rotatu
Raptentur: tamen aduerſum magno impete, magno
Conatu incedunt, donec conſcendere finem
Præfixum, & poſitam liceat contingere metam.
Econtra obtutu lux hæc ſtat fixa ſub ipſo,
Nec proprium oſtentat tanto iam tempore motum.
Adde quod & ſolos nunquam radiare planetas
Conſtet: cum contra remanentia ſigna micanti
Scintillent radio: quoniam eſt diſtantia eorum
Altior, æthereas propiuſq; accedit ad oras.
Quo poſtquam obtuſo conſcendit lumine viſus,
Is tremit, & tremulo quanq; tremere aſtra putentur,
Non tamē ipſa tremūt, ſed lumina feſſa tremiſcunt.
Accidit hoc, quicunq; nouum defigit in aſtrum
Immotos oculos: namq; hinc illincq; vibrantes
Sparguntur radij, tremuluſq; internatat ardor.
At quanquam tremat, & lato procul abſit ab arcu,
Qui duodena vehit variatis ſigna figuris:
Non tamen hoc fixis quiſquā annumerauerit aſtris.
Obſtat enim poſitus, quo non ſidentia tangit
Sidera, at octauo longè eſt depreſsius orbe.
Hoc quoq; ſtellarum numerus quas Caſsiopeiæ
Aſtriſmus recipit, teſtatur & arguit, illam

Tres-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

Treſqꝫ decemqꝫ vna faciunt compage figuram,
Inter ſe forma & certantes lumine ſtellæ.
Nec plures illic micuiſſe prioribus vnquam
Compertum eſt annis, modò nunc ſe adiunxit ijſdē
Fax noua, quæ reliquas radiatu obnubilat omnes.
Hæc prius albentem veluti Iouis æmula flammam
Induerat, qui tunc petulante ſub ariete ſedem
Fixerat: illa gradum Taurino in ſidere ſextum
Attigerat, quare vicino â lumine primam
Creditur attraxiſſe comam, Iouialia & inde
Signa oſtentabat, nunc vultum exoſa priorem
Tota rubet Marti ſimilis ſpeciemqꝫ coloremqꝫ
Et lucem & faciem, & rubicundæ lumina flammæ.
Nec tantum immutat ſplendorem, at corpore toto
Apparet minor, & paulatim abſumitur, vſu
Attenuata ſuo, quo certè excluditur omni
Stellarum numero, quas nec mutatio lucis
Transformat, nec & vlla grauat corruptio, namqꝫ
Qua ſemel imbuta eſt formam conſeruat eandem
Stella diu, atqꝫ habitum ſpectantibus exhibet vnum.
Hæc pleroſqꝫ mouent ſtellam vt dixere comatam
Crinitum hoc aſtrum: verum his ſe opponere cōtra
Tentarunt alij, quod idem Cithareidis orbem
Atqꝫ adeo ætherium credant habitare receſſum.

Nullus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

Nullus vbi exoritur peruertens regna Cometes.
Ergo velut legimus ſtellam effulſiſſe recentem,
Cum noua progenies cœlo deſcenderet alto:
Vatidicoſq; Magos duxiſſe Orientis ab oris,
Donec ad optati gradiens magalia tecti
Staret, vbi matris puer ipſe cubabat in vlnis:
Præ foribuſq; ducem monſtraret adeſſe petitum:
Haud aliter cenſent ſignare hanc lampada Chriſtum
Aduentare iterum totum vt dijudicet orbem,
Et ſibi fidentes regnis committat auitis.
Hoc quoq; nonnulli impugnant, quos impedit illud
Scripturæ elogium: finem impoſuiſſe labori
Naturæ artificem, & rebus ceſſaſſe creandis,
Quò non ſat tutum hoc dictu videatur, vt idem
Aſtrifera inſolitas creet in regione figuras.
Et licet hanc temerè flammam appellare Cometam
Vix auſint: tamen è numero non prorſus eorum
Excludunt, quia diuerſas ea lumina formas
Sumant, & varias accenſa ferantur in oras.
Nam modò ceu fuſi fluitent ceruice capilli,
Flamma comas imitata volat: modo parte ſub vna
Flammiferam extendit crepitanti ſyrmate caudam:
Mox barbæ in ſpeciem diſperſos colligit ignes,
Et ſpiſſos aliquo mentitur limite crines.

Nec

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

Nec tua gnate Dei tacitis præſagia labris
Prætereunda mihi, qui inter progn'oſtica mundi,
Fataq; ſupremam nobis minitantia lucem,
Ipſe tuum cœli fulſurum in climate ſignum
Aſſeris, atq; ſimul tempus currentibus annis
Affore tunc, quo cuncta retro ſublapſa ferantur
In peiusq; ruant, paulatim & decolor ætas
Incipiat, ſubitum patiantur & omnia caſum,
Totus & abſiliat diſrupto cardine mundus.
Quis ſcit an hoc (quoniam fallax haud ore repertus)
Oſtento, finis monſtretur & exitus ingens,
Quo tandem intereat flammis vrentibus orbis,
Tuq; patris iuſſu deſcendas æthere, & omnes
Explores hominum vitas, & crimina diſcas.
Ah bone Chriſte veni, & clemens res aſpice noſtras,
Aſpice res noſtras, requiemq; afferto labori,
Et diſrumpe moras, te ſponſa Eccleſia ſponſum
Orat amans, rũpe ergo moras, mora triſtis amanti eſt.
Hæc dum ſuſpenſus repeto, & ſacra numina poſco,
Hoſce ſecundarent viſus, omenq; leuarent:
En Dea quæ cœlo nomen ſortitur ab ipſo
Vrania, ante meos radianti in imagine vultus
Subſtitit, & verbis trepidanti talibus inquit:
Quid cauſſas petis ex longo, dum triſtia cœli

 Signa

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

Signa vides, dubiuſq; hæres, rerumq; futuras
Colligis inde vices? me ſuſpice, meque magiſtram
Audi, atq; ignotum quod iam nox humida ſidus
Exhibet, agnoſces, & rectius omina diſces.
Infandũ, horrendum, ingens, tetrũ, immane, cruen-
Inſolitumq; ſcelus Gallorũ â rege patratum, (tum
Inſolito induxit rutilantem crine Cometem.
Quisquis enim immanes miratus es hactenus auſus,
Atq; cruoribibas ætate priore tyrannos,
Perfidiamq; hominum: mirari deſine: namq;
Omnia liligero ceſſerunt monſtra tyranno.
Qui tantum admiſit facinus, miteſcere toruas (ipſos
Quod ſinat Eumenidas, vincat quod Gorgonas,
Thracas & Harpyas, Siculos manſueſcere reges
Quod faciat, Phalariſq; bouem, & Buſiridis aras
Molliat, & Diomedis equos, quondamq; feroces
Centauros ſuperet, longè poſt ſeq; relinquat
Antiphaten, Scyllamq; ferum, Scyronq; Scinimq;,
Et Cinnam, & ſæuum præſtet feritate Neronem.
Eloquar an ſileam dictu audituque tremendum
Hoc facinus, quo non vidit ſol triſtius vllum?
Non totum expediã, quia mens formidat & horret
Id ſcelus, & phœbus ſtupet, & ſoror aurea phœbi
Obtegitur nebulis, & terra agitata tremiſcit.

Nec

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

Nec gens, nec regio, nec nunc vrbs vlla peractæ
Ignara eſt cædis, qua præter iuſq́ fidemq́,
Inſignem pietate ducem, belloq́ potentem
Colignum, & magnã iuuenumq́ ſenumq́ cateruam
Perfidus è media vitai ſuſtulit aura.
Heu pietas, heu priſca fides inuictaq́ bello
Dextera, cui quiſquam ſe non impune tuliſſet
Obuius, infeſtos ſeu cum pedes iret in hoſtes:
Seu ſternacis equi foderet calcaribus armos:
Iuris iurandi prætextu, & pace ſequeſtra,
Connubio obſtrictaq́ nouo: nil tale timeſcens,
Fallitur, atq́ dolis & funereis hymeneis,
Et fuco fidei, & deceptus fœdere dextræ
Occidit: & deſiderium ſat triſte reliquit
Saluifici quotquot pendent à nomine Chriſti.
Scilicet illud erat, quod dudum in pectore fixum
Verſabat rex ipſe nefas: rata fingere pacta,
Pangere coniugium, aſt ſacra omnia & omnia iura
Polluere: atq́ viro ingenio dextraq́ probato
Intentare necem, ſed ſic, ne obtendere contra
Poſſet, & ad ſolitas pugnandi accingier artes.
Hinc itaq́ ad tœdas verbis rogitatus amicis
Comparens, animi ſecurus, & inſcius omnis
Fraudis, traijcitur lethalis fulmine glandis.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

Quem ſubito abductumq́ domum, lectoq́ iacentē,
Rex ipſe inuiſit, Crocodiliq́ inſtar amaras
Effundit lacrymas, & fingit corde querelas,
Spem faciens, ſe non licturum hoc crimen inultum,
Sumturum at meritas ſcelerato à ſanguine pœnas.
Verùm vbi funeſtis rediјt lux tertia ſignis,
Atq́ heros dulci iacuit iam lumina ſomno
Obrutus: inuehitur Guiſianæ factio gentis
Circumfuſa armis, & vix membra ægra trahentem
Enſe petens, ferrum aduerſo ſub pectore condit,
Proh dolor, aſt illi ſoluuntur frigore membra,
Vitaq́ cum precipibus fugit exhalata per auras.
Ah noua perfidiæ facies, quis talia fando
Audiјt, aut quibus his ſunt lecta æqualia ſcriptis?
Non ita Turca fidem, non Tartarus, Indus, Arabsve,
Non Geta, non Afer, non Muſcus iniquus & atrox,
Frangit, vti hic Gallus: potuit promittere vitam,
Attulit exitum: iuſſit ſperare ſalutem,
Præſtitit interitum: pepigit noua fœdera, rupit
Vincla: fidem addixit, ſoluit ius omne fidemq́:
Ac quoniam à ſuperis ſancitum eſt, ſemper vt illi
Heroes quorum virtus ſublimis, & omni
Laude fuit maior, diuumq́ ſimillima vita:
Exanthlati adeant veneranda palatia olympi:

Ipſa

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

Ipſa Amiralij fallaci fraude peremptí,
Sanctam animam, dilectam animam vereq́ beatam
Excepi, & celeri raptam per inania vento
Impoſui cœlo, & rutilare ſub æthere feci,
Hic vbi Caſsiopeia ſuam defendere ſellam
Conſueuit, ſeptemq́ ſimul ſpectare triones.
Iamq́ ille inſuetum miratur limen olympi,
Sub pedibusq́ videt nubes, latisq́ vagatur
Aëris in campis, & fulgidus omnia luſtrat.
Inde trahens rubeam ſpacioſo limite flammam
Stella micat, Galliq́ gemit ſcelera improba regis,
Et Guiſij rabiem, ſæuosq́ Lycaonis aſtus.
Nec tantum ſcelus accuſat, ſed nunciat atrox
Supplicium regi & quotquot naſcentur ab illo,
Et populo, & toti minitatur funera regno.
Crede mihi neq́ vana fides, fore tempus, & eſſe
Iam prope, quo vita latro ille optauerit emptum,
Se tantum nunquam violaſſe heroa, nec vllum
Qui muros aulæ eſt intra mactatus & extra.
Namq́ Amiralij cœlo ceu ſtella ſereno
Ardet: Ita Augiæ ſtabulum, commune ſepulcrum
Sanctorum, Satanæ hoſpitium, ſpelunca latronum,
Fœdorum ſentina virûm, impietatis aſylum
Lutetia, & rapidis ardebit Gallia flammis.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

Sic vt inacceſſo pix illi & ſulphura viua
Fortice, in æternum ſpirent graue olentibus auris,
Quas ſuper haud vllæ volucrum ſe credere pennis
Poſsint, vel pecudes firmos ibi figere greſſus,
Aut homines auſint ſceleratæ inſiſtere terræ.
Sic campi Troia ampla tui, ſic Ilion olim,
Sic Sodoma & Thebæ, ſic Sparta atq; alta Corinthus
Arſere, & calidis dudum periere fauillis.
Inſuper & noua fata nouum regionibus aſtrum
Chriſtiadum, atq; aliȷs diſcrimina triſtia terris
Portendit, genteſq; iubet vitare doloſas.
Reſpicias quòcunq; libet, tela vndiq; & hoſtes
Vndiq; perfidiam cernes, fraus ſubdola vobis
Imminet à Borea, pariter dolus inſtat ab Auſtro,
Bella crepant Itali, ſimul & ſocia agmina iungunt
Heſperiȷ, & veſtri tentant bella aſpra coloni,
Vt taceam triſtes in relligione tumultus.
Imperiȷq; ſtatum, qui non turbatior vnquam
Extitit, aut ſeclis fuit imbecillior vllis.
Hinc motus magni, & mutatio magna timenda eſt.
Adde famem & peſtem, & variæ contagia labis,
Quæ generi humano, & quodcunq; vbicunq; loco-
Fatalem intentant quaſi coniurata ruinã. (rum eſt,
Singula quid memorẽ? terrorum et cladis abunde eſt
Omnis

Omnis & immenſi tellus eſt plena doloris.
Hoc etiam attendas: primo vt pereunte Monarcha
Cæſare, ſtella recens conſpecta per aera, mortem
Arguit herois ſcelerato vulnere cæſi,
Et noua Romano præſagijt omina regno:
Sic quoq; quæ dempto maiore heroë vagatur
Iam prope Caſsiopen, ſeq; illius addidit aſtris,
Fata Monarchiæ ſignare nouiſsima veſtræ,
Extremumq; orbi tandem prædicere finem:
Attamen haud quiſquam veniam rogat, aut prece
Mitia fata Deum, verûm cœliq; Deiq; (poſcit
Securi innumero cumulatis crimine pœnas.
Hi dictis, illi lædunt ſacra numina factis,
Et ſcelus augetis ſcelere, vt ſua cuiq; voluptas
Materiam varia peccandi in ſorte miniſtrat.
Hic fomes, ſuntq; hæc flammis alimenta coruſcis,
Communesq; augent immenſo pondere clades.
Vos autem quibus eſt melior ſententia mentis,
Prodigijs moniti cœleſtibus, impia tandem
Delicta excutite & meliori aſſueſcite vitæ,
Atq; orate Deum veniam, requiemq; malorum
Poſcite, & aſsiduò fera vincite fata precando.
Nam precibus locus eſt, queîs motus cœpta reflectet
Conſilia omnipotens et mentem animumq; paternũ

Induet,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

Induet, & veſtros ſua fulmina vertet in hoſtes.
Dixit, & vlterius cupientem quærere, ſolum
Liquit, &, vnde prius deſcenderat, aſtra reuiſit.
Inde domum rediens monita omnia & omnia Muſæ
Iuſſa ſtylo memori excepi, chartæq; tenaci
Impreſsi, atq; alijs eadem relegenda reliqui.
Qui ſapis in Chriſto cœlum reuerenter habeto,
Et vultum ad Boream, gelidasq; extolle per arctos,
Atq; recens ortum ſcrutare ſagaciter aſtrum.
Non certè hæc ſine cauſſa aliqua, ſine numine diuũ
Aut fruſtra eueniunt, ſignis dedit ipſa fidem res,
Semper adhuc ſignaſſe nouos noua ſidera motus,
Et noua ſecuro monſtraſſe pericula mundo.
Sic quoq; nũc nos magna manent incommoda pœnæ
Venturæ, & toti finis prædicitur orbi.
Quod niſi nos vitã & mores renouabimus, actũ eſt.
Poſce igitur ſupplex ſuperos, atq; omnibus aris
Deuotas extende manus, ſacrisq; litatis
Iratum placato Deum, finem ille labori
Suggeret, & noſtræ mala leniet omnia noxæ.

ELEGIA EIVSDEM AVTORIS DE eadem ſtella prodigioſa.

QVuiſquis es, attonitus qui vaticinantia nobis
Sydera ſublimi mente notare ſoles:

Huc

Huc ades, ac iterum quid inauguret aſpice cœlum,
  Atq; ſtupeſcendas volue reuolue minas.
Ecce labaſcentis ſuccendens præuia mundi
  Signa Deus, pœnas monſtrat adeſſe graues.
Nam noua fata nouũ prænunciat ætheris aſtrũ,
  Cui conſtat nullo par micuiſſe die.
Omnia cùm reliquis habeat conformia ſtellis,
  Et ſpeciem, & molem corporis, atq; ſitum:
Scintillante tamen fulgore obnubilat omnes,
  Exceptis radijs, Lucifer albe, tuis.
His cedit, fixumq; loco non mobile certo
  Hæret, in aſtrîſmo Caſsiopeia tuo.
Inq; gradum Tauri, ſi vera notatio, ſextum
  Incidit, & rutilum ſpargit ab axe iubar.
Scrutantes cœlum ſtatuunt hoc eſſe Cometam,
  Quamuis nec ſic res ſit quoq; nota ſatis.
Nec dubiũ eſt quin hocce nouũ noua denotet aſtrũ
  Omina Teutonicas introitura plagas.
Et quantò ſolitis minus eſt conforme Cometis,
  Tanto etiam maius gignat in orbe malum.
Cumq; ſub aurato niteat Iouis Ariete ſidus,
  Credimus hoc flammas inde tuliſſe ſuas
Vnde ſacra triſtes in Religione tumultus,
  Bellaq; magnorum ſunt metuenda ducum.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

Qualia iudicij dans argumenta ſupremi
Chriſtus, ait ſummos ante futura dies.
Si legimus faſtos, ipſa experientia tantis
Prodigijs ingens omen ineſſe probat.
Integra centenis ætas iam tranſijt annis,
Viſa vbi ſub Libra ſtella comata fuit,
Parua quidem primò, mox grandis in aêre grandē
Materiem, & longam traxit aduſta comam.
Repſit ad Arcturum, poſthac per crura Bootæ,
Signiferi reſidens inter vtrumq; polum.
Proh dolor hæc quantas clades Europæ Aſiæq;
Intulit & quantum ſæuijt inde malum?
Prælia magnanimi mouêre horrenda tyranni,
Teutona quos tellus, Gallia quoſq; tulit.
Senſit & infandum crudelis Iberia ſtragem,
Atq; Aſia effreno milite cincta ſtetit.
Omnia quis memoret? nil non miſerabile cernes,
Crinitum quoties ſidus in axe micat.
Semper adhuc quæcunq; breui ventura fuere,
Sidera non dubijs præcinuere notis.
Semper adhuc aliquid cœlum portendit, & iſta
Res fuit euentu ſæpe probata ſuo.
Sicut id acta probant annalibus eruta priſcis,
Cumq; ſacris pariter ſcripta prophana libris.
Et dubi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

Et dubitabis adhuc, quin hoc quoqꝫ ſidus ad Arcton
    Præ foribus clades monſtret adeſſe graues?
Ne dubita, nec temne Dei graue vindicis omen,
    Sperne nec inſolitis fata tremenda minis.
En in præcipiti ſtant & ruitura fatiſcunt
    Omnia, tam miſerum neſcia ferre ſtatum.
Aſtra labant, cœlum propius ſuccedere terris
    Cernitur, & priſcum penè negare locum.
Vndiqꝫ lethiferis nigreſcunt ſidera fumis,
    Atqꝫ venato plena vapore nocent.
Inde vigent paſsim diræ contagia peſtis,
    Atqꝫ lues rabidam concomitata famem.
Vt taceam quoties valido violentia flatu
    Spirituum, tremulam pulſet & vrat humum.
Vnde effuſa ruunt in apertos flumina campos,
    Cumqꝫ ſuis mergunt oppida tota bonis.
Terra quoqꝫ intremuit ſubito quaſſata tumultu,
    Signaqꝫ commoti eſt viſa pauere Dei.
Immenſo veluti ſcelerum ſub pondere nutans,
    Tam tetrum poſthac ferre recuſet onus.
Omnia fatalem metuunt elementa ruinam,
    Et tanquam propria mole grauata labant.
Hæc & plura quidem quæ mens formidat & horret,
    Certum eſt offenſum ſignificare Deum.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

At quotus eſt, tanto qui rerum in turbine, vitam
Emendaturus, dum licuiſſet, erat?
Mens ſecura riget, veluti Marpeſia cautes,
Et tantas ſurda reſpuit aure minas.
At tu Chriſticolæ nutrix Germania gentis,
Reſpice flagrantis ſignaq; vimq; poli.
Diſcito iuſticiam monita & ne temnito cœlum,
Quo ſpreto infernus iura docentis aget.
Quin mage crinitis ſapiens moueare cometis,
Ne ruat in thalamos publica pœna tuos.
Namq; Deus iuſtus iuſtam commotus ad iram
Vtrauis librat fulmina ſumta manu.
Ni vitam renoues, irarum effundet habenas,
Verùm emendatis mitia fata dabit.
Muneris ergo tui fuerit, tua iungere votis
Vota meis, precibus continuando preces.
Da Deus, vt, ſi quæ ſubterlabentia cœlo
Motibus intentent aſtra pericla ſuis:
Hoſtibus eueniant, & qualiacunq; minetur
Sors mala, ſint populis ſola parata malis.
At cœli monitus, atq; hæc prognoſtica mundi,
Ante oculos noſtros, ante locata pedes:
Efficiant nobis nouus hic ſit fauſtus vt annus,
Inq; hilarem vertant triſtia fata ſtatum.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 192 [19,-85 4°]